

dum, ex professo defendit hanc locutionem: *Deitas est passa; quia deitas, inquit, est Deus; et Ecclesia etiam canit: Mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit.* Confirmatur secundo, ratione insinuata a Fulgentio, quia Deus est mortuus; et Deus est deitas; ergo deitas est mortua. Similiter, Verbum est homo; et Verbum est divinitas; ergo divinitas est homo. Simili enim syllogismo expository supra concludebamus vere dici Deum esse hominem, et fuisse mortuum. Respondetur ad principale argumentum, illas propositiones: Divinitas est incarnata, vel assumpsit humanitatem, jam supra a nobis expositas, solum significare divinitatem substantialiter esse conjunctam humanitati, non tanquam suppositum, seu proprium terminum illius, sed tanquam naturam ejusdem suppositi; et ideo negatur consequentia; non enim quidquid unitur humanitati, fit homo, sed quod unitur per modum suppositi illius, et ideo non sunt similes consequentia quæ illic afferuntur, quia non eodem sensu dicitur incarnari, vel assumere, de Verbo et de divinitate, ut explicatum est. Ad primam confirmationem respondetur, illam locutionem Fulgentii in rigore non esse veram; ipse vero locutus est in sensu identico, et semper addit aliquam determinationem, scilicet, Divinitas secundum carnem passa est. Illa vero locutio: *Mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit,* metaphorica etiam est; nomine enim vitæ significatum est Verbum ipsum, seu Deus. Ad secundam confirmationem negantur illæ illationes, nam, licet Deus dicatur sua deitas, propter summam identitatem, tamen in ratione et modo significandi et supponendi distinguuntur, et hoc satis est ut in illis argumentis varietur sensus identicus in formalem, et mutetur appellatio, ut dialectici dicunt; et ideo neganda est utraque consequentia, sicut in simili forma manifeste patet; non enim sequitur: Pater, vel Deus generat; Pater, vel Deus est deitas; ergo deitas generat; propter eundem defectum.

6. Quarto, sequitur divinitatem in abstracto non prædicari proprie et formaliter de homine, atque adeo nec proprietates ejus, etiam in abstracto, seu formaliter sumptas; quamquam in sensu identico, illa propositio: *Christus, vel hic homo, est deitas,* admitti possit. Ratio prioris partis constat ex præcedentibus, quia, cum abstracta ex modo suæ significationis non supponant pro supposito, neque

etiam proprie significant conjunctionem naturarum in eodem supposito, quæ est fundamentum hujus communicationis idiomatum, ideo, etc.; posterior vero pars ita colligi potest, nam Verbum est deitas; et Verbum est Christus, seu hic homo; ergo Christus, seu hic homo est deitas. Hoc enim consequens potest optime in sensu identico verificari, sicut antecedens; cujus ratio est, quia subjecta solent stare materialiter, et ideo Christus, seu hic homo ex parte subjecti sumitur pro ipso supposito Verbi, de quo vere dicitur, quod sit sua deitas; et propter hanc causam magis concedi potest hæc, *homo est deitas, quam deitas est homo.* Verumtamen, quia hæc locutio non est propria, nec formalis, non est extendenda, neque assumenda ad concludendas alias propositiones, quæ sensum formalem faciunt, et ideo falsæ sunt, ut in simili dictum est.

7. Ultimo tandem sequitur humanitatem, et ejus proprietates in abstracto sumptas, non posse vere prædicari de Deo. Hoc constat ex dictis, quia neque in sensu formali, neque in identico, Deus aut Christus est humanitas; unde fit etiam in rigore has locutiones esse falsas: *Christus est anima, vel, est caro, vel, est anima et caro,* etiam simul sumptæ, propter eandem rationem. Quod si aliquando hujusmodi locutiones inveniuntur apud Patres, ut, verbi gratia, apud August., tract. 47 in Joan., et alios, sunt locutiones figuratæ, et per synecdochen pars sumitur pro toto, juxta illud Joan. 1: *Verbum caro factum est,* ut notat idem August., 2 de Trin., c. 6. Fit etiam ex eodem principio, nec partes integrales posse prædicari de Deo, aut Christo, ut si dicas, *Est caput, est manus,* etc., tum quia hæc significant in rigore per modum abstractorum; tum etiam quia hujusmodi partes non solent vere prædicari de toto supposito, nisi denominative. In quo erravit Wicleph., introducens in hoc mysterio absurdas locutiones, ut tractat Walden., lib. 1 Doctr. fidei antiquæ, c. 40 et 41.

8. Solet vero hic peculiariter dubitari an hæc locutio in rigore vera sit: *Christus est divinitas et humanitas simul sumptæ;* nam sigillatim, seu divisim, jam ex dictis satis constat non posse utramque naturam vere prædicari de Christo; et in hoc sensu refertur illa propositio inter errores Wicleph., et Joan. Hus, in Concilio Constantiensi, sess. 12 et 15; in hoc enim sensu illi asserebant illam propositionem, ut Waldens. supra refert, c. 42.

Male ergo nonnulli propter hujus Concilii testimonium damnant illam propositionem ut erroneam, etiam in sensu conjuncto, seu complexive, ut aiunt, quia Concilium nihil de hoc dixit, et a Catholicis illa propositio admittitur, ut a Greg., in 1, d. 28, q. 2, ad 18; et Wald. supra, et in Patribus reperientur locutiones non admodum dissimiles. Et in Concil. Arelatensi IV, can. 1, habetur hæc locutio: *Duæ naturæ in Christo sunt, Deus et homo.* Leo Papa, epist. 11, dicit: *Verbum, caro et anima, sunt unus Christus;* et August., in Enchirid., cap. 38: *Utraque substantia, divina, scilicet, et humana, sunt unicus Filius Dei.* Et eodem modo loquitur Damasc., lib. 3, c. 19; et Bernard., lib. 5 de Considerat. ad Eugen., imo et VI Synod., act. 18.

9. *Objectio.*—*Responsio.*—Dices, hos Sanctos debere explicari in sensu causali, scilicet, Christus est duæ naturæ, id est, constat duabus naturis. Sed contra primo, quia eadem ratione posset Christus dici sua humanitas in sensu causali, quia constituitur humanitate. Secundo, quia si illa admittitur in sensu causali, cur non etiam in identico? quia de quolibet homine vere dici potest in sensu identico, quod sit sua humanitas et subsistentia simul sumptæ; et universe constat, nullum compositum distingui a componentibus simul sumptis. Christus autem est compositum quoddam ex divinitate et humanitate. Dicendum est ergo, si Christus sumatur pro solo supposito, illam propositionem non esse veram, sed omnino falsam, ut per se constat, quia illud suppositum est distinctum ab humanitate, quam in se et per se non includit; si autem Christus sumatur pro toto composito ex natura divina et humana, sic, licet locutio illa sit impropria, tamen in sensu identico non est falsa. Neque enim ex illa inferri possunt propositiones quas aliqui inferunt, scilicet, quod Christus non sit divinitas, et similes, scilicet, hoc modo argumentando: divinitas non est divinitas et humanitas; Christus est divinitas et humanitas; ergo Christus non est divinitas. Hujusmodi enim argumentationes nihil valent, quia variatur acceptatio et suppositio illius termini, *Christus,* et patet defectus in simili forma: divinitas non est persona composita; Christus est persona composita; ergo Christus non est divinitas; quæ consecutio nulla est, cujus ratio latius patebit ex dicendis sectione quarta. Nihilominus tamen illa locutio, etiam in hoc sensu, non est simpliciter usurpanda; non solum quia

impropria est, sed etiam quia est valde ambigua, et in aliquo sensu potest errorem generare; vel ergo vitetur, vel non sine sufficienti explicatione proferatur.

SECTIO III.

Quomodo divina attributa in concreto prædicanda sint de Christo, seu de homine.

1. Hæc quæstio expediri facile potest ex principio, et fundamento posito in sectione prima, ex quo colligendæ sunt regulæ universales quæ in hujusmodi locutionibus servandæ sunt.

2. *Prima regula communicationis idiomatum.*—Dico ergo primo, Deus et attributa ejus simpliciter prædicari de Christo et de homine, absoluta seu substantiali prædicatione, vera ac propria. Hæc conclusio in re ipsa est de fide, quia de fide est, hunc hominem Christum esse Deum, et consequenter esse omnipotentem, æternum, etc. Videantur dicta sectione prima, et ibi citata, et circa articulum secundum D. Thomæ nonnulla addemus de proprietate et qualitate harum locutionum.

3. *Secunda regula.*—Et hinc colligitur secunda universalis regula. Quidquid essentialiter dicitur de Deo, et quidquid essentialiter vel personaliter dicitur de Filio, seu Verbo Dei, simpliciter et absolute prædicatur vere de hoc homine Christo. Est etiam in re ipsa de fide; nam continetur in præcedenti, et in illis locis Scripturæ, in quibus Christo tribuuntur, quæ sunt Filii Dei naturalis propria, ut patet ad Heb. 1 et 2, et Joan. 8, ubi Christus dicit: *Antequam Abraham fieret, ego sum;* et in aliis, quæ late citavimus supra, agentes de Christi divinitate, et tradunt Patres omnes supra citati, Concil. Ephes., can. 4; VI Synodus, act. 11 et 18; Lateran., sub Mart. I, consul. 5, can. 4; Leo Papa, epist. 10, 11 et 83; August., lib. 1 de Trinit., cap. 7 et seq.; Fulg., de Fide ad Petrum, c. 2; Nazian., orat. 51 et 52; Cyril., lib. 12 Theol., c. 15; Damasc., lib. 3, c. 4, 6 et 11. Et ratio est supra tacta, quia Christus est Deus; ergo necesse est ut quidquid essentialiter dicitur de Deo, dicatur etiam de Christo; et eadem ratio est de personalibus Verbi Dei, quia Christus est Verbum Dei; secus vero est de propriis prædicationibus personalibus Patris, vel Spiritus Sancti, quia, cum Verbum non sit Pater, nec Spiritus Sanctus, etiam Christus, seu hic homo, non est Pater, nec Spiritus Sanctus; et con-

sequenter neque illa notionalia prædicata, quæ ita sunt propria Patris vel Spiritus Sancti, ut non convenient Verbo, possunt vere de Christo aut homine prædicari.

4. *Tertia regula.* — Dico tertio : divinitas seu attributa ejus non possunt prædicari de Christo seu homine denominative, propria denominatione accidentali. Hanc etiam regulam quoad rem ipsam existimo certam, et de fide ; directe enim excludit errorem Nestorii, qui solum ponebat unionem accidentalem. Et explicatur in particularibus locutionibus ; in Concilio enim Ephesino damnatur hæc vox *θεοφόρος*, id est, *deifer*, tanquam propriam Nestorianorum, quia per illam denominationem tantum prædicatur Deus de homine, et significatur supponi hominem constitutum et subsistentem qui in se ferat Deum, unde indicat distinctionem suppositorum, et unionem accidentalem ; et ideo Damasc., lib. 3, c. 12, et Athanas., in serm. de Sanctiss. Deip., circa finem : *Non vocamus*, inquit, *hominem Deiferum, sed Deum carniferum*, quia vere Deus carnem assumpsit, et illam in se sustentat ; homo autem non posset in se sustentare aut substantialiter terminare divinam naturam, et ideo non potest dici homo *Deifer*, nisi ratione accidentalis unionis. Verum est, Basil., in Psalm. 59, sic loqui : *Divinitatis calceamentum est caro Deum ferens, quia habet Deum in se substantialiter inhabitantem* ; magis vero proprie diceretur ferri ab ipso Deo ; ubi obiter etiam observandum, ex Nazianz. orat. 52, Apollinaristas abusos fuisse illa voce, *carniferum*, ad significandum Verbum assumpsisse carnem, et non animam ; et hoc sensu dicit ipse, potius dicendum esse Verbum ferens humanitatem, quam carnem ; in vero autem sensu utrumque dici potest, quia caro non excludit animam, sed pars pro toto sumitur. Præterea propter hanc regulam non potest dici Christus, *homo deificatus*, ut recte docuit Cyril. Alexand., lib. de Incarn., c. 11, ubi sentit illam locutionem esse Nestorianam, quia significat supponi hominem, et illum sibi unire divinitatem, quod non posset esse verum, nisi de unione accidentali. Idem docet Damasc., lib. 3 de Fid., c. 2 ; unde, si illa locutio interdum reperitur in Patribus, ut apud Sophronium, sæpe citata epist., et Nicet., lib. 3 Theol., c. 29, qui citat Gregorium Nazianz., pie explicanda est ; vel enim est sermo de humanitate, quæ deificata dici potest per substantialem unionem, cui ipsa supponitur ; vel, si est sermo de homine, intelligitur,

formaliter ac simpliciter abstrahendo a determinato supposito, juxta ea quæ circa a. 7, in simili, dicemus. Tertio, propter hanc etiam regulam non dicitur proprie Christus homo Dominicus, ut latius circa art. 3 dicitur.

5. Sed contra, nam Christus dici potest homo divinus, ut art. 3, ad 3, D. Thomas concedit, ex Dionys., cap. 4, de Eccles. hierar., part. 3, circa finem, ubi juxta translationem Perionii, vocat *divinissimum Jesum* ; Ambrosius enim Florentinus non ita vertit, sed *summum Deum*, quod magis vox græca significat, *θεογονώτατον*, id est, supremum numen ; ita vero appellat Augustinus, lib. 83 Quæst., in 57. Respondetur hanc denominationem non esse accidentalem, sed substantialem et essentialem ; nam et natura Dei, essentia divina dicitur, et secunda persona dicitur Verbum divinum. Hæc enim denominatio sumi potest ab ipsa Dei natura, concepta per modum formæ vel differentię essentialis, sicut dicitur natura humana ; sed in hac ipsa denominatione cavenda est æquivocatio, nam illa denominatio, *divinus*, addita divinis rebus, habet dictam significationem juxta communem usum ; addita vero rebus creatis, significare solet accidentalem participationem divinæ perfectionis, ut cum dicitur homo divinus, et ideo non videtur ita simpliciter appellandus Christus Dominus, sine sufficienti explicatione et determinatione.

6. *Objectio secunda.* — *Responsio.* — Sed urgebit aliquis, nam Christus Dominus dicitur sanctificatus a Patre, cum vere sit sanctus per essentiam. Respondetur, juxta Augustini expositionem, Christum ut Deum dici sanctificatum a Patre per æternam generationem, et hoc sensu illa denominatio non est accidentalis, seu per participationem, sed est essentialis, conjuncta cum notionali ; sumpta est enim ab ipsa sanctitate per essentiam, ut communicata Filio per æternam generationem ; in alio vero sensu dicitur Christus ut homo sanctificatus, vel per ipsam unionem, vel per accidentalem sanctitatem. In quo observandum est, quædam esse prædicata, quæ licet Christo ut Deo per essentiam conveniant, eidem tamen ut homini insunt per quamdam participationem accidentalem ; ut esse bonum, sapientem, sanctum, etc. ; et hæc utroque modo dici possunt de Christo per communicationem idiomatum, quanquam simpliciter illi semper tribuenda est maxima perfectio, quæ imperfectionem non includat.

7. *Quarta regula.* — *Hæretici hujus temporis,*

— Dico quarto : divina attributa licet absolute et simpliciter dicantur de Christo homine, non tamen cum reduplicatione humanitatis. Itaque hæc propositiones et similes non sunt veræ : *Christus, in quantum homo, est Deus, est æternus, immensus, etc.* Hæc est certa doctrina, quam hæretici hujus temporis satis ignoranter negant ; si tamen vel ipsa significatio terminorum intelligatur, constat negari non posse, nisi incidendo in errorem Eutycheus ; nam, si naturæ manent distinctæ post unionem, ut vere manent, non possunt attributa divina et increata convenire homini ratione naturæ ; hoc autem per illam locutionem significatur, ut etiam ex dialectica constat ; sunt ergo illæ locutiones falsæ in proprio sensu ; an vero in aliquo improprio possint ad verum sensum revocari, dicemus circa articulum 11 D. Thomæ.

SECTIO IV.

Quomodo proprietates humanæ seu creatæ dicantur de Deo seu Filio Dei in concreto.

1. Solum hic modus loquendi nobis superest explicandus, quod breviter fieri potest, colligendo generales regulas ex principio posito in sect. 1, sicut in aliis fecimus.

2. *Prima regula.* — Dico ergo primo : homo, et quidquid essentialiter de homine dicitur absoluta et substantiali prædicatione, vere et proprie dici potest de Deo et Filio Dei ; et idem intelligendum est de omnibus prædicatis, quæ simpliciter dici possunt de hoc homine Christo, ratione humanæ naturæ. Tota conclusio est certa, et in re ipsa continet doctrinam fidei ; nam, quod Deus seu Verbum vere sit et dicatur homo, articulus est fidei, sæpe in superioribus probatus, de quo plura statim dicemus in art. 1 ; et hinc evidenter sequitur, essentialia prædicata hominis eodem modo dici posse de Deo, quia, cui convenit esse hominem, necesse est ut etiam convenient omnia quæ sunt de essentia hominis ; et hinc etiam fit ut actiones et passionis talis hominis de Deo vere prædicentur ; quomodo dicitur, Actor. 20, Deus redemisse Ecclesiam sanguine suo ; et 1 ad Cor. 2, Dominus gloriæ dicitur crucifixus ; et Psal. 67, dicitur Deus ascendisse in altum, quod ad Eph. 4 de Christo explicatur ; et Baruch 3 : *Posthac in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Concilia et Patres satis in superioribus citati sunt. Et ratio est eadem, quia, cum sit idem suppositum subsistens in utraque natu-

ra, de illo absolute dici possunt, quæ ratione utriusque naturæ illi conveniunt, etiam si nominibus ab utraque natura sumptis significentur. Solum est in hac regula observandum, sermonem in ea esse tantum de illis prædicatis, quæ præcise conveniunt homini ratione humanæ naturæ, ita ut non involvant imperfectionem suppositi creati, nam de his alia ratio est, ut statim dicitur.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed contra, nam sequitur simul dici de Christo prædicata opposita, ut esse corporeum et incorporeum, mortalem et immortalem ; consequens videtur falsum, nam inde facile possunt inferri contradictoria ; si enim est incorporeus, ergo non est corporeus. Propter hoc dicunt quidam, hæc prædicata, quæ videntur privationem involvere, non esse simpliciter dicenda de Christo, sed cum additione, scilicet, Christus est incorporeus secundum divinitatem. Ita significat D. Thomas, art. 8, ad 2. Sed intelligendum est illud esse prudens consilium ad tollendam ambiguitatem ; alioqui enim constat locutiones illas simpliciter esse in Conciliis usitatas, ut in Chalc., act. 1, ubi Nazianz. citatur, et VI Syn., act. 11 et 18 ; et in Leone Papa, et aliis Patribus supra citatis, qui frequenter Christo tribuunt hæc opposita prædicata, et in ipsorum conjunctione satis explicant verum sensum, scilicet, secundum diversas naturas Christo tribui, et ideo nec vere esse opposita, neque ex illis contradictionem inferri, tum quia illi termini, qui videntur privativi, usurpantur a nobis ad significandas positivas perfectiones divinitatis ; tum etiam quia, licet secundum unam naturam affirmetur privatio, non potest inde inferri negatio simpliciter, quia omnia destruit, atque adeo significat secundum nullam naturam tale prædicatum huic supposito convenire.

4. *Secunda regula.* — *Objectio.* — *Responsio.* — *Quædam conveniunt Christo ratione utriusque naturæ.* — Dico secundo : hæc prædicata dicuntur de Deo absolute, non cum reduplicatione divinitatis, quia non, in quantum Deus, est homo. Hæc est certa, ut in sectione præcedenti in simili propositione satis dictum est. Et in præsentem est hoc evidenti, quia nec ratione divinæ naturæ, nec ratione ipsius suppositi divini, ut sic, convenit Deo ut sit homo, et consequenter neque aliæ proprietates, vel actiones hominis. Sed contra, nam vere dicitur Christus, in quantum Deus, mereri et satisfacere pro nobis, quanquam

hæc prædicata, et similia, non convenient Christo, nisi mediante humana natura. Circa hanc objectionem, advertendum est quædam esse prædicata, quæ non possunt quidem convenire Deo secundum se, quia requirunt naturam finitam, et quæ superiorem aliquam voluntatem recognoscat, ut sunt orare, mereri, satisfacere; possunt tamen illi convenire, ut subsistenti in natura humana; et ideo absolute et simpliciter non possunt talia prædicata dici de Deo cum reduplicatione solius divinitatis; ut non vere dicitur Christus orare, in quantum Deus, sed in quantum homo; habent tamen interdum hujusmodi prædicata perfectionem aliquam in Christo, ratione divini suppositi, quam sine illo habere non possunt in supposito creato, ut, quod meritum sit infinitum, et satisfactio de rigore justitiæ: et hæc prædicata proprie dicuntur de Christo cum reduplicatione divinitatis, non solius, sed cum conjunctione humanitatis. Et hoc modo vere dicitur Christus meruisse et satisfacisse ut Deus homo, quia operatio meritoria erat humanitatis, valor autem et justitia potissimum erat ex divino supposito, ut late superius, disp. 4, diximus, quæ doctrina consentanea est Cyrillo, epist. ad Acacium, quæ refertur in Concil. Ephes., tom. 5, c. 7, ubi triplicia attributa Christi distinguit: quædam, quæ illi conveniunt ratione divinitatis, alia ratione humanitatis, alia ratione utriusque. Exemplum est de attributo seu prædicato *mediatoris*, quod perfecte convenit Christo in quantum est Deus homo, quia neque sola humanitas in persona creata, nec sola persona divina sine humanitate sufficeret ad constituendum nobis perfectum mediatorem et redemptorem, ut ex dictis in eadem 4 disp. constat; et ex Aug., in Enchr., c. 108, et hom. de Centum ovibus, c. 12; Fulgen., de Fide ad Petrum, c. 2; Basil., in Ps. 48; et Cyril., lib. 12, c. 10, et plura afferemus infra, q. 26.

5. *Tertia regula.* — Dico tertio: prædicata concreta, ab humanitate sumpta, non solum dicuntur de Deo absolute, sed etiam denominative. Est certa conclusio, quia non solum dicitur Deus homo, sed humanatus, sicut dicitur incarnatus. Et ratio est, quia in Christo suppositum quod est homo, non constituitur simpliciter in suo esse per humanitatem, sed supponitur constitutum, et per humanitatem sibi unitam constituitur in esse hominis; suppositum autem quod supponitur alicui formæ vel naturæ quæ illi postea unitur,

non solum absolute, sed etiam denominative potest a tali forma denominari; sed hæc conclusio latius explicabitur art. 4, dub. 3, pendet enim ex ibi dicendis.

6. *Quarta regula.* — Dico ergo quarto: quædam sunt prædicata, quæ ita conveniunt homini, ut requirant suppositum creatum, et hæc nec Christo, nec Verbo, aut Deo possunt vere attribui. Hæc regula est de fide, cum fides doceat tale suppositum creatum non esse in Christo. Exemplum est, verbi gratia, si dicatur purus homo, ibi enim excluditur divinum suppositum. Sic dixit Cyrillus, lib. cont. Theod., relatus in V Synod., collat. 5: *Neque enim erat homo simpliciter, sed in specie humana, qui est ex Deo Patre, Deus Verbum.* Non enim est sensus, Christum non posse absolute et simpliciter hominem appellari, sed non posse dici hominem simpliciter, ita ut illud, *simpliciter*, sit pars prædicati, et idem significet quod purus, vel nudus homo. Simile est hoc prædicatum, esse *peccabilem*, de quo supra dictum est item hoc, esse *filium adoptivum*, esse *aliud a Deo*, et similia, de quibus in sequentibus dicemus; nam interdum difficile est discernere hujusmodi prædicata. Illud vero in universum observandum est, quandoque significatio est ambigua, et in uno sensu potest prædicatum habere dictam significationem, et inducere errorem, quamvis in alio possit efficere verum sensum, non esse simpliciter asserendum sine sufficienti explicatione, ut vitetur scandalum, et erroris periculum. Et ex hac regula intelligitur alia, quæ a multis assignari solet, scilicet, ea prædicata, quæ conveniunt homini, et repugnant personæ divinæ, non posse de Deo aut Christo affirmari; hujusmodi enim prædicata non sunt talia, nisi quæ involvunt suppositum creatum; quæ dicuntur repugnare personæ divinæ, non solum, quia non possunt illi convenire secundum propriam naturam suam, hoc enim modo omnia prædicata creata repugnant personæ divinæ; sed quia non possunt illi convenire, etiam in assumpta natura, quia non potest persona divina fieri persona creata, etiam si in natura creata subsistat. Et hinc ulterius colligo, hæc prædicata, quæ hanc imperfectionem involvunt, non posse dici de Christo, etiam cum reduplicatione humanitatis, quia neque in quantum homo est persona creata, nec purus homo, nec filius adoptivus, ut infra dicitur. Quod tamen limitandum est, nisi, addendo talem determinationem, ita limitetur significatio aut suppositio termino-

ARTICULUS I.

Utrum hæc sit vera: Deus est homo¹.

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa: Deus est homo. Omnis enim propositio affirmativa in materia remota est falsa. Sed hæc propositio: Deus est homo, est in materia remota, quia formæ significatæ per subiectum et prædicatum sunt maxime distantes. Cum ergo propositio prædicta sit affirmativa, videtur quod sit falsa.*

2. *Præterea, magis conveniunt tres personæ divinæ ad invicem, quam humana natura et divina. Sed in mysterio Trinitatis, una persona non prædicatur de alia; non enim dicitur quod Pater est Filius, vel e contrario. Ergo videtur quod nec humana natura possit prædicari de Deo, ut dicatur quod Deus est homo.*

3. *Præterea, Athanasius dicit² quod, sicut anima et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Sed hæc est falsa: Anima est corpus; ergo etiam hæc est falsa: Deus est homo.*

4. *Præterea, sicut in prima parte habitum est³, quod prædicatur de Deo non relative, sed absolute, convenit toti Trinitati et singulis personis. Sed hoc nomen, homo, non est relativum, sed absolutum. Si ergo vere prædicatur de Deo, sequeretur quod tota Trinitas et quælibet persona sit homo, quod patet esse falsum.*

Sed contra est quod dicitur Philip. 2: Qui, cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Et sic ille, qui est in forma Dei, est homo; sed ille, qui est in forma Dei, est Deus. Ergo Deus est homo.

Respondeo dicendum, quod ista propositio: Deus est homo, ab omnibus Christianis conceditur, non tamen ab omnibus secundum eandem rationem. Quidam enim hanc propositionem concedunt, non secundum propriam acceptionem horum terminorum. Nam Manichæi Verbum Dei dicunt esse hominem, non quidem verum, sed similitudinarium, in quantum dicunt Filium Dei corpus phantasticum assum-

¹ 3, dist. 7, q. 1, art. 1; et Uni., art. 4, corp., fin.

² In suo fidei Symbolo.

³ Q. 39, art. 3.

rum, ut jam non requiratur suppositum creatum ad talem propositionem verificandam, ut contingit in hac: *Christus, in quantum homo, incepit esse*, et in aliis similibus, ut circa articulos D. Thomæ magis explicabimus, et solve-mus nonnullas difficultates occurrentes.

7. *An quidquid simpliciter dicitur de Christo, dicatur de Verbo.* — Unum solum superest hic dubium necessario expediendum, quia multa ex supra dictis ab illo pendent, scilicet, an, quidquid simpliciter dicitur de Christo, possit etiam simpliciter dici de Verbo, aut Filio Dei. Et ratio dubii est, quia in omnibus supra dictis semper hoc supponi videtur, quia est idem suppositum. In contrarium vero est, quia Christus significat totum compositum ex duabus naturis, ut passim ex Damasc. et Cyril. constat, et sæpe in superioribus diximus: Verbum autem, vel Deus, non dicit hujusmodi compositum, sed tantum personam Verbi secundum se; aliquid ergo dici poterit de Christo ratione suæ compositionis, quod non possit dici de Verbo; ut hoc ipsum, esse personam compositam, constare ex divinitate et humanitate, esse terminum resultantem ex unione duarum naturarum in una persona, et similia. Respondetur hoc dubium ex regulis dialecticorum definiendum esse. Dicunt enim illi, subjecta frequentius stare materialiter, interdum vero definiri a prædicatis, ut stent formaliter, quia ipsa ratio prædicati hoc ex propria significatione requirit; ut, cum dicitur calidum esse dulce, materialiter stat subjectum. Si vero dicas calidum esse terminum alterationis, stabit formaliter; neque enim suppositum ipsum est terminus alterationis, neque illi materialiter sumpto hoc vere tribui potest, sed tantum ut subest calori, seu potius composito ex subjecto et calore. Sic ergo dicendum est, regulariter loquendo, prædicata, quæ simpliciter dicuntur de Christo, dici etiam de Verbo, quia subjectum illud stat materialiter pro supposito; interdum vero ratione prædicati determinari, ut stet pro toto composito, ut sic; et tunc prædicatum non communicatur Verbo, quia variatur suppositio et appellatio terminorum, et hujusmodi sunt illa prædicata, quæ in ratione dubitandi sunt adducta, et si quæ fortasse sunt similia. Et hæc notanda sunt pro his, quæ circa articulos D. Thomæ dicemus, ad quorum explicationem jam accedere oportet, et ex generalibus regulis assignatis, de singulis propositionibus ferre iudicium.